



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 26. Bellum contra Venetos a Galliarum Rege inchoatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



præfíciebant, imperio tamen diviso cum Sæcul. XVI.  
 Bartholomæo Liviano seu Alviano ejus A. C. 1509.  
 Tribuno.

§. XXVI.

*Bellum contra Venetos a Galliarum  
 Rege inchoatum.*

Inter ceteros hujus fœderis articulos *Guicc. lib. 8.*  
 sanciebatur, ut Galliarum Rex bellum *San. Gelas.*  
 prior auspicaretur, ac prima Aprilis die *hist. Ludov.*  
 exercitum in aciem educeret: verum va- *XII.*  
 riis obstaculis præpeditus ea, qua defi- *Raynald.*  
 derasset, celeritate Alpes transire haud *hoc ann. n. 6.*  
 poterat, quamvis Pontifex moræ impa- *11. & 12.*  
 tiens dolere videretur, eoquod nondum  
 Italia belli flammis flagraret. Tandem  
 vero superatis alpihus Rex fecialem præ-  
 misit, qui primo Cremonensibus, de-  
 mum Venetis in pleno Senatorum con-  
 fessu die decima septima Aprilis bellum  
 nunciaret; biduo tamen ante factam  
 hanc declarationem Calvimontius Mare-  
 scallus, Cardinalis Ambasiani nepos, pri-  
 mus hostilem in modum Venetos vexa-  
 re cæperat, trajectoque Abduano fluvio  
 cum tribus equitum, peditumque sex  
 millibus, ac nonnullis belli tormentis  
 Trivium jam cinxerat, captaque urbe mil-  
 le ducentos ac inter eos Justinianum  
 Morosinum unum ex illis, quos *Proviso-*  
*res* vocant, in captivitatem abstraxerat;  
*Hist. Eccles. Tom. XXXII.* C postea



**Sæcul. XVI** postea Leicenses præfidiarii totam regionem usque ad Bergomensis urbis portas excursionibus suis infestabant; Laudenses vero in Cremonenses agros populabundi excurrebant, cum interea Placentini pontium navalium subsidio Padum trajicerent, cunctaque flamma, ferroque devastarent. Denique etiam Marchio Mantuanus cum centum cataphractis *Casal-Major* Casale-Majus occupaverat. Ceterum Calvimontius Dux veritus, ne Venetorum exercitus proxime imminens junctis viribus subito eum opprimeret, rupta omni mora Abduam rursus pertransivit, ipsum Regem Mediolani præstolaturus, qui etiam ineunte Mense Majo ibidem advenit, ex lapsu equi, qui crus ejus attriverat, graviter faucius.

## §. XXVII.

*Julii II. Pontificis Bulla adversus Venetos.*

*Raynald. ib. n. 6. & 13. Spond. hoc ann. n. 1.* Quamprimum Julius II. Gallos Venetis bellum intulisse compererat, & ipse quoque sacris eorum armis oppugnare cepit accerrimo in illos edicto, quod *monitorium* appellabat, ad normam Bullæ divulgato, in quo injuriis, quas potestati Ecclesiasticæ intulissent, fusius enumeratis, de aliis etiam eorum violentiis graviter querebatur, illosque admonebat, ut